

[Petes 2° utrum miraculum sit possibile.

*Resp.* affirmative.

1° Est de fide. Concilium Vaticanum, sess. III, constit. *Dei Filius*, ita definivit: « Si quis dixerit miracula nulla fieri posse, proindeque omnes de iis narrationes, etiam in Scriptura sacra contentas, inter fabulas vel mythos ablegandas esse...; anathema sit. »

*Prob.* ratione. Possibile est miraculum, si non repugnet neque ex parte Dei creatoris, neque ex parte naturæ creatæ. Atqui neutra ex parte repugnat. Ergo.

*Prob.* prima pars. Miraculum esset impossibile ex parte Dei, si ejus potentia vel eo usque non extenderetur, vel ordine jam inter res creatas statuto ligaretur. Atqui neutrum admitti potest. Ergo. — *Prob.* prima pars min. Qui potest plus, potest et minus, in eodem genere. Atqui plus est omnia e nihilo producere, quam exceptionem, id est miraculum, facere. Minus est solis cursum sistere vel illi tenebras per diem offundere, quam perpetuum motum illi imprimere; minus est omissam vitam homini reddere, quam eam infinitis hominum millibus quotidie impertiri aut conservare: quæ facta sunt miraculosa. Ergo. — *Prob.* secunda pars min. Potentia Dei statuto ordine ligaretur, vel quia hic ordo per creationem necessarius factus esset, vel quia Deus, propter suam immutabilitatem, illum mutare non posset. Atqui neutrum admitti potest. Non primum. Nam vere necessarium non est, nisi quod, supposita existentia, est essentialiter tale. Atqui ordo mundi non est essentialiter talis, sed mere contingens, quia aliter a nobis concipitur et Deus libere eum instituit, siquidem Deus est absolute liber in suis operationibus externis. Ergo. Non secundum. Quamvis enim miraculum legibus naturalibus deroget, nullam mutationem in Deo importat. Cum enim Deus ab æterno mundum creare constituit, eique tales leges generales dare decrevit, simul statuit his legibus in casibus prævisis et determinatis derogare, ad manifestandum gloriam suam: unde, ut optime ait Augustinus, lib. I *Confess.*, c. 4, « opera mutans, nec mutat consilium. » Ergo. — Adde quod, si proprie loqui velimus,

Deus non regit genera et species, quæ non sunt nisi ideæ abstractæ, et ut talia sunt immutabilia, sed regit individua, quæ sola realia sunt; neque ea regit legibus universalibus, quæ pariter non sunt nisi in conceptu nostro, exinde ortæ, quod nos conspiciamus Deum modo uniformi individua cujusvis generis gubernare, sed voluntate peculiari regit individua singula: unde, respectu uniuscujusque, sive illud intra modum consuetum contineat, sive illud aliter tractet, ad finem propositum obtinendum, in utroque casu decretum suum æternum executioni mandat, et semper verificatur quod de seipso dixit, *Malach.*, III, 6: *Ego Dominus, et non mutor.*

*Prob.* secunda pars, scilicet quod miraculum non repugnet ex parte naturæ creatæ. Nam 1° natura a Deo ita dependet, ut lutum a figulo, et etiam magis absolute, quia Deus non tantum ex materia præexistente orbem condidit, sed materiam ipsam libere creavit. 2° Materia, utpote essentialiter iners et otiosa, ad motum vel quietem, ad hanc vel illam figuram partiumque dispositionem plane est indifferens. Potest igitur hunc vel illum modum accipere, hanc vel illam formam induere, hanc vel illam partium dispositionem suscipere, sicque ad miraculum accommodari. Ergo.

*Petes* 3° utrum miracula vim habeant probandi veritatem revelationis.

*Resp.* affirmative cum S. Thoma, 2° 2<sup>a</sup>, q. 178, a. 2, o: *Miracula fiunt « ad veritatis prædicatæ confirmationem. »*

Est de fide definitum a concilio Vaticano, sess. III, constit. *Dei Filius*: « Si quis dixerit... nec miraculis divinarum religionis christianæ originem rite probari; anathema sit. »

*Prob.* 1° Scriptura sacra. Cum doctrina supernaturalis non habeat evidentiam intrinsecam, ut appareat ejus evidentia extrinseca seu credibilitas, ejusmodi motivis plena est Scriptura. Et quidem 1° quod Deus solus sit author miraculi, testantur Apostoli, ut vim et valorem miraculi demonstrent. Sic S. Petrus ait, *Act.*, III, 12: *Viri Israelitæ,*

quid miramini in hoc, aut nos quid intuemini, quasi nostra virtute aut potestate fecerimus hunc ambulare? Ergo miraculum est semper opus Dei. — 2° Quod sit testimonium veritatis apparet, quia B. V. Maria illud accepit ut arrham veritatis sibi annuntiatae. Dicit enim angelus, *Luc.* 1, 36 : *Et ecce Elisabeth cognata tua, et ipsa concepit filium in senectute sua.* Christus Dominus se Messiam probat legitimo testimonio, nempe miraculo, *Joann.*, 1, 51 : *Amen, amen dico vobis, videbitis caelum apertum, et angelos Dei ascendentes et descendentes supra Filium hominis.* Idem Dominus Jesus, ipso die quo ascendit in caelum, cum praecipisset Apostolis ut irent in mundum universum praedicare Evangelium, addit, *Marc.*, xvi, 17 : *Signa autem eos qui crediderint haec sequentur : In nomine meo demonia ejicient, etc.* Apostoli quoque miracula invocant ad confirmandam divinitatem Christi. Sic S. Petrus transfigurationis miraculum affert, *II Petr.*, 1, 18 : *Et hanc vocem nos audivimus de caelo allatam, cum essemus cum ipso in monte.* Apologeticus character miraculorum splendescit *Joann.*, 30 et 31 : *Multa quidem et alia signa fecit Jesus... Haec autem scripta sunt, ut credatis quia Jesus est Christus Filius Dei, et ut credentes, vitam habeatis in nomine ejus.* Apostolus Paulus, *Rom.*, xv, 19, legitimam esse suam missionem demonstrat in virtute signorum et prodigiorum, et *II Cor.*, xii, 12, iterum dicit : *Signa apostolatus mei facta sunt super vos, in omni patientia, in signis et prodigiis et virtutibus.* Certum est igitur, miraculum ex natura sua esse aptum ut veritati robor addat, non quidem intrinsecum, sed extrinsecum, et hanc per prodigia confirmationem esse sufficientem.

*Prob.* 2° ex natura miraculi. Angelicus dicit, *ibid.* : « Vera miracula non possunt fieri, nisi virtute divina. » Atqui Deus est ipsamet veritas, nec unquam potest vel adstipulari errori et falsitati, vel suae omnipotentiae et autoritatis sigillum apponere ad errorem ab aliis sparsum confirmandum. Ergo miraculum necessario connectitur cum veritate.

*Prob.* 3° consensu hominum. 1° Propensio universalis et invincibilis ut firmum veritatis argumentum haberi

debet. Atqui propensione universali et invincibili feruntur homines ad judicandum miracula divinae voluntatis esse signa splendidissima. Hinc omnes populi persuasum habuerunt miracula esse quasi Dei voces. Hinc ipse J. J. Rousseau, postquam confessus est, quaestionem : « An possit Deus miracula facere, » si non esset impia, absurdam dici debere, addit se nolle videre miracula, ne insanus praestupore fieret. — 2° Id ostenditur ex facto. Etenim illud ineluctabilem vim probandi habet, cui cessit Pharaonis ejusque magorum pertinax obstinatio, ita ut clamarent, *Exod.*, viii, 19 : *Digitus Dei est hic;* cui cessit gentilium superstitio tot saeculis inveterata, cui cessit orbis universus, fidem Christi amplectendo. — 3° Confirmatur ex hoc quod omnes qui religionem etiam falsam spargere tentaverunt, ut ei fidem et auctoritatem conciliarent, quaedam facta vel supposititia vel mendaciter ut miraculosa interpretata protulerunt. Habent ergo miracula vim veritatem demonstrandi.

Si objicias, daemones ipsos vi suae potentiae naturalis quaedam facere posse quae nobis supernaturalia videntur, haec difficultas infra solvetur.

*Petes* 4° utrum miraculum ut tale certo cognosci possit.

*Resp.* affirmative.

Est de fide. Concilium Vaticanum, constit. *Dei Filius*, ita definit : « Si quis dixerit... miracula certo cognosci nunquam posse...; anathema sit. »

*Prob.* ratione. Ut miraculum certo cognosci possit ut tale, duo requiruntur, scilicet primo ut producat aliquis effectus qui naturae vires et ordinem excedat; secundo, ut hunc effectum naturae vires ordinem excedere constet. Atqui utrumque haberi potest. Primum experientia sensuum, id est empirice, potest cognosci, aut per alienum testimonium, ut caetera facta sensibilia cognoscuntur : neque solum probabiliter, sed etiam cum certitudine; nisi relationis sensuum et testimonii hominum vis

simul negetur, quo in casu omnis fides, etiam in ordine naturali, neganda est. Secundum per examen serio institutum apparebit, quando effectus ex comparatione ad ejus causas expenditur, et videtur in eo naturæ vires superatas esse et extraordinariam causalitatem adfuisse. Hæc ratione comparatur veritas miraculi historica et philosophica. Prima facillime, sicut et cæterorum factorum naturalium, obtinetur. Miraculum quippe, quatenus est factum sensibile, non minus est sensibus obvium quam factum naturale. Secundam veritatem, seu certitudinem philosophicam, pariter attingimus. Non enim de modo supernaturali quo effectus producit, sed de ipso effectu, quoad physicam suam substantiam, datur testimonium. Ubi talis effectus habetur qui evidenter ex causa creata procedere non potuit, statim certitudine metaphysica concludimus quod ejus causa sit Deus omnipotens, extra ordinem consuetum agens et legibus ab ipso constitutis derogans. Ergo.

Ut factum aliquod miraculosum esse pronuntiemus, non necesse est ut omnes naturæ vires perspiciamus. Verum est quidem neminem, quantumvis sit doctus et perspicax, omnes naturæ vires cognoscere; at quilibet homo, etiam rudis, experientia ductus, videre potest quoad usque natura pertingere non possit. Atque ut in concreto exemplum ponatur (a quo semper fugiunt adversarii, ut intra abstractionum latebras sese tegant), etsi fateamur nos ignorare quousque sese attollat nobilissima ars medicinæ, certo tamen scimus nullum medicum solius voluntatis nutu, vel voce prolata, infirmum quempiam sanare, os contractum consolidare, mortuum, et quidem jam quatrinduo sepultum et fœtentem, ad vitam revocare; quæ si contingant, quis de miraculo ambigat? Nonne et ipsi deistæ et rationalistæ, relictis suis omnibus abstractis et contortis ratiocinationibus, miraculum proclamarent? Possemus proinde et nos hic eum imitari, qui ad solvenda argumenta sibi proposita adversus motum, cœpit ambulare.

Et ita respondetur difficultati a Renan oppositæ, scilicet

nunquam certum esse posse miraculum, nisi societas doctorum, chemicorum et naturæ scrutatorum factum investigaret, promeretque judicium de realitate miraculi, quia secus impossibile est causalitatem directe divinam agnoscere. Quam inepte hoc exigat, per se patet.]

*Petes 5º* utrum omnia quæ videntur aut dicuntur miracula, sint vera et proprie dicta miracula.

*Resp. negative* <sup>1</sup>. Quædam enim non sunt vera facta, sed phantastica, quibus ludificatur homo, ut videatur ei aliquid quod non est. Quædam sunt quidem vera facta, seu veræ res, sed non habent rationem veri miraculi, quatenus fiunt virtute aliquarum causarum naturalium nobis ignota, et ideo non dicuntur miracula simpliciter, sed quoad nos tantum. Hæc duo facere possunt dæmones, et magi ope dæmonum. Hujusmodi fuerunt miracula magorum in Ægypto, et erunt miracula Antichristi, de quibus Apostolus dicit II *Thessal.*, II, 9, quod ejus adventus erit *secundum operationem Satanæ, in omni virtute, et signis, et prodigiis mendacibus*. Solus autem Deus, ut dixi, facit vera miracula quæ omnem totius naturæ virtutem superant.

*Petes 6º* quomodo dignosci potest aliquod miraculum esse factum virtute divina, et non virtute naturæ nobis ignota, ideoque esse verum miraculum.

*Resp.* triplicem esse regulam. Pro prima, suppono esse quosdam effectus qui, communi et constanti sensu omnium hominum cujusvis temporis et nationis, reputantur superare omnes totius naturæ vires et vere miraculosi, qualis est, v. g., resurrectio mortui. Quovis e loco, quovis tempore resurgat homo vere mortuus, ut erat, v. g., Lazarus, nemo est qui non reputet verum et proprie dictum miraculum; unde illud cæci nati, *Joann.*, IX, 32 et 33: *A sæculo non est auditum quia aperuit quis oculos cæci nati. Nisi esset hic a Deo, non poterat facere quidquam*. Hoc supposito, dico: Quando est talis effectus qui communi et

1. 1<sup>a</sup> p., q. 114, a. 4, o.

constanti sensu omnium hominum cujusvis temporis et nationis censetur miraculosus, certo tenendum est esse verum miraculum; quia hic sensus tam constans et tam universalis omnium hominum cujusvis temporis et nationis, attenta infinita Dei bonitate, sapientia et veracitate, non potest esse falsus. Alioquin Deus, qui est author sensus communis et rationis, aut nos deciperet, aut permetteret nos decipi, absque eo quod ullo medio possemus dignoscere errorem et ab eo liberari; quod repugnat infinitæ ejus bonitati, sapientiæ et veracitati, maxime si sit error circa aliquod dogma.

Pro secunda regula, suppono vera miracula esse testimonia divina alicujus veritatis inducendæ aut confirmandæ. Hoc supposito, dico: Miraculum factum in nomine Dei creatoris in assertionem alicujus dogmatis, nunquam potest esse falsum, nec inducere in errorem; quia infinitæ Dei bonitati, sapientiæ et veracitati repugnat 1° quod permittat suum nomen interponi ad substituendum falsum miraculum pro vero; 2° quod patiat suum nomen adduci in testem mendacii ex quo homines necessario et invincibiliter inducerentur in errorem contra id quod debent Deo et est necessarium suæ salutis; nihil enim habent homines quod opponant miraculo facto in nomine Dei creatoris in attestationem alicujus dogmatis.

Tertia regula. Dignoscuntur vera miracula ex doctrina et moribus eorum qui illa operantur, et ex effectibus singularibus et permanentibus qui ex his miraculis sequuntur: si nempe qui operantur miracula, tradant doctrinam Deo honorificam, rectæ rationi conformem, bonos mores inducentem et vitæ sociali adfaventem; si iidem vitam et mores ad hujus doctrinæ normam accurate componant; denique, si ex his miraculis sequantur permanentes cultus supremi numinis, eversio cultus dæmonum, reformatio morum conformiter ad rectam rationem, concordia civium et vita socialis. Impossibile est enim quod hujusmodi miracula fiant authore dæmone in sui perniciem. Hæc regula desumpta est ex Origene, lib. II *contra Celsum*.

*Petes* 7° unde dignosci possit, factum miraculosum quod narratur non esse suppositum et fabulosum.

*Resp.* tunc censi verum et non suppositum, 1° quando est factum exterius, oculis vel auribus pervium; 2° quando est factum coram multis videntibus seu audientibus attentis, et omnes facti circumstantias mature perpendentibus; 3° quando in memoriam hujus facti, tunc erecta sunt monumenta publica et onera imposita, quæ perdurant. Ex his, inquam, conditionibus simul positis certo eruitur veritas facti.

## § II

*Facta sunt vera miracula in confirmationem Religionis Christianæ.*

Jam dixi de miraculis Moysis in confirmationem legis a Deo ipsi traditæ, quæ erat fundamentum legis Evangelicæ.

Miracula facta a Christo et Apostolis in confirmationem Religionis Christianæ continentur in libris novi Testamenti, scilicet quatuor Evangelii SS. Matthæi, Marci, Lucæ et Joannis, Epistolis SS. Pauli, Judæ, Jacobi et Joannis, et in Actis Apostolorum a S. Luca scriptis.

Tria nobis hic præstanda sunt adversus incredulos: primum, hos libros esse genuinos Apostolorum quorum nomina referunt; secundum, facta quæ narrant esse vera; tertium, esse vera miracula.

## PRIMUM

*Libri novi Testamenti non sunt suppositi.*

Hos libros non esse suppositos, sed proprios eorum quorum nominibus inscribuntur, constat: 1° Ex fide publica et constanti traditione, quæ semper suis auctoribus illos adjudicavit, nemine unquam, sive ex Judæis,

sive ex paganis, sive ex hæreticis, reclamante, quamvis maxime illorum interesset id denegare. Hujusmodi autem fidei publicæ et constanti traditioni certa fides adhibetur, nisi contrarium evineat peremptoria ratio, quæ deest incredulis.

2º Dicant deistæ, si hi libri non sint Apostolorum, quis illos fabricavit, et quo tempore : an viventibus Apostolis, an post illorum mortem ? Non ipsis viventibus, alioquin certo contra fraudem reclamassent. Non post eorum mortem ; nam exstant opera SS. Ignatii, Clementis, Polycarpi, qui cum Apostolis vixerunt, item opera SS. Justinii et Irenæi, qui fuerunt discipuli priorum discipulorum Apostolorum : et hi omnes libros novi Testamenti adscribunt Apostolis, et sic omnes deinceps usque ad nos.

Item dicant, qua arte iste fabricator potuit persuadere Romanis, Corinthiis, Galatis, Ephesiis, Thessalonicensibus et Philippensibus, Epistolas quæ nomine S. Pauli inscribuntur, fuisse ab eo scriptas et ad se directas, de quibus nihil unquam audivissent ?

3º Hi libri continent Religionem qua nulla est sublimior, nulla purior, nulla sanctior, nulla austerior. Ergo non sunt opus alicujus impostoris. Item, continent veritates et mysteria quæ superant captum rationis humanæ, et quæ proinde ipsa attingi et excogitari non potuerunt absque revelatione, ut sunt mysteria SS. Trinitatis et Incarnationis, peccatum originale, resurrectio mortuorum, etc.

#### SECUNDUM

##### *Facta quæ narrant sunt vera.*

Constat 1º quia alioquin facile et aperte mendacii argui potuissent. Ea enim narrant in medio Jerosolymæ, ubi plurima fuerunt peracta, et paucis post annis ab eorum eventu, ita ut tot testes mendacii habuissent, quot adhuc erant tunc homines a morte Christi superstites. Matthæus enim scripsit Evangelium novem circiter annis post Christi mortem, deinde cæteri.

2º Quia pro asserenda veritate eorum quæ narrant, mortem oppetiere. Nemo autem est adeo stultus, ut mortem oppetat pro asserendo facto quod scit esse falsum, nisi aliquid melius post mortem speret. Quid autem melius post mortem sperare poterant impostores ?

3º Plurima ex his factis agnoverunt vera ipsi Christianæ Religionis hostes, Judæi et pagani. In primis quotquot ex Judæis et paganis amplexi sunt Religionem Christianam, ea omnia indubie ut vera agnoverunt. Hi autem sunt et fuerunt innumeri ex omni gente et conditione. Suetonius de imperatore Claudio, cap. 44, narrat edicto hujus imperatoris pulsos fuisse Roma Judæos qui sequebantur Religionem Christi ; quod factum legitur in *Actis Apost.*, xviii, 1. Tacitus, *Annal.*, lib. XV, c. 44, refert Christum subisse mortem sub Pontio Pilato, Judææ gubernatore, imperante Tiberio, prout refertur in Evangelio. Celsus, quo nullus fuit infensior Religionis Christianæ adversarius, agnoscit Christum sanasse claudos et cæcos. En ejus verba apud Origenem, qui illum impugnavit, lib. II *contr. Cels.* : « Credidistis ipsum esse Dei Filium, eo quod claudos et cæcos sanavit. » Similiter Julianus Apostata, apud Cyrillum, lib. VI, fatetur Christum sanasse claudos et cæcos, et liberasse energumenos. Phlegon, qui florebat in aula Adriani imperatoris circa medium secundi sæculi, in *Hist. Olympiad.*, lib. XIII, refert eclipsim solis et terræ motum qui contigerunt moriente Christo, ut legimus *Matth.*, xxvii, 51 ; *Luc.*, xxiii, 45. Thallus, alter paganus antiquior Phlegone, lib. III *Histor. Syriac.*, narrat hanc eclipsim contigisse anno 18 imperii Tiberii, quo passus est Christus. Hæc duo testimonia Phlegonis et Thalli simul juncta maxime urgebant Origenes, Tertullianus, Minutius Felix, S. Justinus et alii, contra Celsum, Porphyrium et Julianum, qui ad hæc obmutescabant.

4º Constat de veritate istorum factorum ex regula § præcedenti posita. Hæc enim facta sunt exteriora oculis et auribus pervia. Facta sunt coram multis videntibus vel audientibus, attente et mature omnes circumstantias perpendentibus. Denique in eorum memoriam instituta sunt

monumenta publica, scilicet festa solemnia, quæ ab exordio usque nunc permanent, et impositæ obligationes, scilicet legis evangelicæ. Hæc autem veritatem factorum asserunt, ut dictum est.

## TERTIUM

*Ista facta sunt vera miracula.*

*Probatur ex triplici regula § primo posita et aliis momentis.*  
 1° Inter illa facta plura sunt quæ, juxta constantem et universalem omnium hominum sensum, superant vires totius naturæ, et habentur pro veris miraculis, ut sunt suscitatio Lazari et filiæ Jair, ipsa Christi resurrectio, multiplicatio quinque panum quibus satiantur quinque millia hominum, missio Spiritus sancti, subita transmutatio discipulorum in alios viros, donum linguarum et miraculorum eis concessum, etc. Hæc, inquam, et similia juxta communem omnium hominum sensum habentur pro veris miraculis. Ergo talia sunt; sensus enim communis omnium hominum non potest esse falsus, ut dictum est.

2° Omnia ista miracula facta sunt a Christo et Apostolis in nomine Dei, in attestationem dogmatum Religionis Christianæ. Ergo non possunt esse falsa, nec inducere in errorem, ut fert secunda regula.

3° Christus et Apostoli eorumque successores qui hæc miracula patrarunt, tradebant doctrinam Deo dignam, rectæ rationi conformem, bonos mores inducentem et vitæ sociali faventem. Vitam suam et mores ad hujus doctrinæ normam adamussim componebant, et ex eorum miraculis innumeri homines omnium nationum facti sunt et permanent eorum doctrinæ sectatores, eorum vitæ imitatores, supremi numinis religiosi cultores, charitate inter se concordēs, dæmonum hostes et victores. Impossibile est autem, ut dictum est in tertia regula, hæc miracula facta fuisse authore dæmone, in suæ dominationis destructionem.

4° Quotquot ex Judæis et paganis Religioni Christianæ

nomen dederunt, hæc facta ut vera miracula agnoverunt. Inter illos autem erant viri maximæ eruditionis et perspicacissimi ingenii, ut S. Justinus Martyr, Lactantius, Arnobius, Minutius Felix, Quadratus, Aristides, Melito, Athenagoras, etc. Hi, inquam, et alii, non nisi explorata veritate miraculorum per accuratum examen, ut momentum rei exigebat, antiquam religionem sensibus faventem exuerunt, ut novam sensibus plane repugnantem induerent, et pro ea plurimi mortem subirent. Quis porro sanæ mentis hujusmodi testibus fidem non adhibeat, potius quam hesternis quibusdam incredulis, qui non nisi ex pravitate cordis, et nulla fulti ratione, miracula nostra impugnant? Adde quod ipsimet imperatores pagani veritatem miraculorum Christi agnoverint et venerati sint. His motus Tiberius, Christum detulit senatui, ut numero deorum adscriberetur; quod abnuuit senatus, eo quod non esset author hujus consilii. Ita refert Tertull. in *Apologetico* ipsi senatui Romano oblato. Lampridius, author paganus, in *Vita Alexandri Severi*, narrat imperatorem Adrianum plura templa absque idolis erexisse, eo animo ut illa templa Christo consecraret, sed a proposito fuisse deterritum, ne, si id faceret, omnia alia templa desererentur, et omnes Christi religionem amplecterentur, prout responderant oracula. Refert iterum idem Lampridius, *ibid.*, Alexandrum Severum habuisse in suo palatio oratorium in quo Christum adorabat et illi sacrificia offerebat.

5° Non solum Apostoli miracula Christi ut vera narrant, et se pro eorum veritate asserenda morti et suppliciis offerunt, sed insuper testantur se ab eo accepisse virtutem faciendi vera miracula. Vel ergo fecerunt vera miracula, vel non. Si fecerint, nobis sufficit; si non fecerint, ergo sponte se pro impostoribus palam exhibebant. Quis credat? Nisi supponas illos fuisse omnino mente captos.

Omitto innumera alia miracula quæ successores Apostolorum et sancti viri, invocato Dei vel Christi nomine, quovis tempore et ubique fecerunt in confirmationem Religionis Christianæ. Plurima referunt SS. Ambrosius, Augustinus, Gregorius, annales ecclesiastici et alii probati

authores. Item nullus declaratur sanctus, nisi invictissime probetur edidisse vera miracula. Quæ omnia si neges, nulla stabit vera historia, et omnia inter fabulas erunt recensenda.

6<sup>o</sup> Denique, si quis proterve neget vera miracula in confirmationem Religionis Christianæ, agnoscat omnium miraculorum maximum, quod hæc religio, quam art. seq. describemus, absque miraculis totum mundum pervaserit. Ita, post Augustinum, argumentatur Author, I *Contra Gent.*, c. 6: « Cum constet, inquit, Romanum imperium universumque orbem tot potentibus viris, philosophis, oratoribus refertum, Christi doctrinæ ante repugnantem, ad eam postmodum fuisse conversum: quæro, an virtute signorum et prodigiorum, ab antiquis ritibus diuque observata religione, in hanc novam et inauditam, sit hæc facta mutatio? Si fateberis mundum ad hanc persuasionem tractum fuisse vi miraculorum, quibus contradicere nequam poterat, fateri oportebit a Deo authore miraculorum, et *qui facit mirabilia magna solus*, Religionem hanc processisse. Sin autem negas ullis miraculis mundum ad hanc recipendam fidem fuisse provocatum, negando miracula, ingens miraculum ingeris. Quid enim potest dici mirabilius, quam Romanum imperium, totamque gentilitatem, Religionem quam tam acriter impugnabant subvertereque moliebantur, desertis paternis ritibus, nullis visis signis mirandisque operibus, sponte suscepisse, et in ea retinenda tam constantes fuisse? »

*Opponunt* deistæ miracula facta a gentilibus, et inde inferunt, non posse probari veritatem Religionis Christianæ ex miraculis. Sic, inquit, magi in Ægypto virgas suas in serpentes converterunt, et ranas producerunt, sic Vespasianus sanavit cæcum et claudum, sic Apollonius Thyaneus, inter plura miracula, resuscitavit puellam mortuam.

*Resp.* 1<sup>o</sup> *Nego* ullum verum miraculum unquam factum fuisse a gentibus: tum quia nullum factum est in nomine Dei creatoris, quod est tessera veri miraculi; tum quia quæ referuntur, non superant vires naturæ, aut sunt falsa et supposita.

Quantum ad prodigia magorum Ægypti, plures volunt fuisse tantum ludificationes sensuum. Alii et communius, cum S. Thoma, existimant fuisse quidem veras ranas et veros serpentes, non quos magi supra omnes virtutes totius naturæ producerint, sed quos ex seminibus in elementis dispersis, applicando virtute naturali activa passivis, effecerunt, ut fieri potest in his quæ ex putrefactione nascuntur, ut docet S. Thomas<sup>1</sup>, post Augustinum, vel aliunde asportatos exhibuerunt, quod videtur probabilius.

Sed et qua fronte deistæ audent opponere miranda a magis in Ægypto peracta veris Moysis miraculis, cum ex eadem Scriptura constet Moysen vicissemagos, ita ut illius

1. 1<sup>a</sup> p., q. 114, a. 4, o et ad 2. Videtur quidem Angelicus admittere, cum Aristotele, quod entia viventia ex putrefactione producantur, quod hodie *generatio spontanea* vocatur. Sed, si ejus sententia attente perpendatur, constabit eum nullo modo putrefactioni vim generativam revera tribuisse, quasi sit per se principium vitæ. Dicit enim de potestate dæmonum, in loco citato: « Materia corporalis non obedit angelis bonis seu malis ad nutum, ut dæmones sua virtute possint transmutare materiam de forma in formam; sed possunt adhibere quædam semina quæ in elementis mundi inveniuntur, ad hujusmodi effectus complendos, ut Augustinus dicit III *de Trinit.* Et ideo dicendum est quod omnes transmutationes corporalium rerum quæ possunt fieri per aliquas virtutes naturales ad quas pertinent prædicta semina, possunt fieri per operationem dæmonum, hujusmodi seminibus adhibitis: sicut cum aliquæ res transmutantur in serpentes vel ranas, quæ per putrefactionem generari possunt. Illæ vero transmutationes corporalium rerum quæ non possunt virtute naturæ fieri, nullo modo operatione dæmonum secundum rei veritatem perfici possunt. » Necessitas seminum quæ Doctor noster requirit ad productionem talium entium, doctrinam generationis spontaneæ, seu systema quod *transformismum* vocant, evertit; hæc enim semina non nisi ex entibus specie similibus procedere possunt, ut fert vetus adagium: « Omne vivum ex ovo, » quod concinit divinæ Scripturæ dicenti, *Genes.*, I, 21 et 22: *Creavit Deus... omnem animam viventem atque motabilem quam producerant aquæ in species suas... Benedixitque eis, dicens: Crescite et multiplicamini.* Ex quo clare apparet, Deum per creationem condidisse omnia genera omnesque species, quæ via generationis perpetuari necesse est.

serpens horum serpentes devoraverit, et cum perventum est ad quartum prodigium, steterit iners ars magorum, et coacti fuerint dicere de miraculis Moysis, *Exod.*, ix, 19: *Digitus Dei hic est?*

Quæ de Vespasiano referuntur, nullo teste, sed fama incerta nituntur. Insuper claudus et cæcus quos dicitur sanasse, non erant, medicorum judicio, naturaliter insanabiles, ut refert ipse Tacitus, *Hist.* lib. IV, n. 81.

Quantum ad Apollonium, unus Philostrates centum et amplius annis post Apollonii mortem ejus historiam fabulis refertam scripsit, istamque cujusdam puellæ suscitationem ex rumoribus incertis, absque ullo testimonio, refert, nec constat ex ejus narratione vere mortuam fuisse puellam. Deinde Apollonium habitum fuisse impostorem inde evincitur, quod nullum sectatorem habuerit, nec sectam fecerit.

*Resp.* 2°. Dato quod Deus, propter causas sibi notas, faceret aliquod miraculum in paganismo, nunquam illud faceret in confirmationem idololatriæ; id enim repugnat ejus bonitati, sapientiæ et veracitati, ut supra diximus. Miracula vero Christi, Apostolorum et successorum facta sunt, invocato nomine Dei, in confirmationem divinitatis Christi, ejus missionis et religionis ab ipso institutæ.

### § III

#### *Prophetiæ et promissiones Christi adimpletæ.*

1° Christus promisit se tertia die resurrecturum, *Joann.*, ii, 19; *Matth.*, xx, 19, et alibi. 2° Promisit se post mortem conversurum ad se gentes et Judæos rejecturum, *Joann.*, xii, 32, 40; *Matth.*, viii, 11 et 12, et xxii, 1 seqq., et *Luc.* xiii, 24 seqq. 3° Promisit Apostolis se facturum illos pisces hominum, *Matth.*, iv, 19; *Marc.*, i, 17; *Luc.*, v, 10; se missurum illis Spiritum sanctum, *Joann.*, xv, 26; se collaturum illis donum sapientiæ, fortitudinis et linguarum, *Luc.*, xxi, 15; *Joann.*, xv, 26 et 27, et xvi, 13. Tandem promisit se

illis ad futurum usque ad consummationem sæculi, *Matth.*, xxviii, 20. Hæc omnia præstare non potest nisi solus Deus. Præstitit Christus: resurrexit die tertia, convertit ad se gentes et rejecit Judæos, hæc ad oculum patent; fecit Apostolos pisces hominum, misit illis Spiritum sanctum, concessit illis donum linguarum, sapientiæ et fortitudinis. Denique adfuit, adest, aderit illis, id est suæ Ecclesiæ indefectibili, usque ad consummationem sæculi. Ergo Christus est Deus. Ergo vera et divina ejus Religio.

### ARTICULUS V

#### *Modus mirabilis et plane divinus quo Christiana Religio fuit fundata et propagata.*

[« Ut officio veram fidem amplectendi, in eaque constanter perseverandi, satisfacere possemus, Deus per Filium suum unigenitum Ecclesiam instituit, suæque institutionis manifestis notis instruxit, ut ea tamquam custos et magistra verbi revelati ab omnibus posset agnosci. Ad solam enim catholicam Ecclesiam ea pertinent omnia quæ ad evidentem fidei christianæ credibilitatem tam multa et tam mira divinitus sunt disposita. Quin etiam Ecclesia per se ipsa, ob suam nempe admirabilem propagationem, eximiam sanctitatem et inexhaustam in omnibus bonis fœcunditatem, ob catholicam unitatem invictamque stabilitatem, magnum quoddam et perpetuum est motivum credibilitatis et divinæ suæ legationis testimonium irrefragabile. » Synod. Vaticana, constit. *Dei Filius*, cap. 3, *de Fide*.]

Ut tota vis hujus argumenti bene percipiatur, plura sunt observanda.

1° Hæc Religio celerrime diffusa est. Paulus enim, *ad Coloss.*, i, 6, ait jam tempore suo Christi fidem in universo mundo crescere et fructificare. Justinus Martyr, qui floruit initio secundi sæculi, in *Dialogo cum Triphone* dicit,



nullum esse genus hominum, apud quos non colatur. Similiter Irenæus, lib. I, c. 3; Tertull., lib. *contr. Judæos*, c. 7, et Plinius junior, qui etiam florebat ineunte secundo sæculo, lib. X, epist. 97, ad Trajanum: « Non civitates tantum, inquit, sed vicos atque agros superstitionis istius (Christianæ) contagio pervagata est. »

2<sup>o</sup> Introduta et propagata est per paucos pisces, homines plebeios, rudes, ignaros, pauperes et contemptibiles: non, ut aliæ religiones, armorum potentia, magnatum favore, opum, voluptatum, honorum illecebris, aut vi eloquentiæ humanæ; sed sola Christi virtute et sapientia, juxta illud Apost., I Cor., I, 27 et 28: *Quæ stulta sunt mundi elegit Deus, ut confundat sapientes; et infirma mundi elegit Deus, ut confundat fortia; et ignobilia mundi et contemptibilia elegit Deus, et ea quæ non sunt, id est, quæ pro nihilo reputantur, ut ea quæ sunt, id est quæ pro maximo habentur, destrueret.*

3<sup>o</sup> Hæc fidei doctrina talis est, ut potius hominibus videretur stultitia quam sapientia: nimirum, quod homo inter opprobria in crucem actus et mortuus, sit verus Deus colendus; quod resurrexerit; quod non sit aliud nomen in quo oporteat nos salvos fieri, quam in nomine hujus hominis crucifixi. Unde Apost., I Cor., I, 23 et 24: *Nos prædicamus Christum crucifixum, Judæis quidem scandalum, gentibus stultitiam; ipsis autem vocatis Judæis atque Græcis, Christum Dei virtutem et Dei sapientiam.* Talis est, inquam, hæc Religio et doctrina, quæ nihil conducit ad terrenam felicitatem; quæ passiones refrænandas, honores, divitias, voluptates contemnendas docet; quæ nihil nisi lacrymas, penitentiam, mortificationem inculcat; nihil in hoc mundo promittit, nisi pericula, afflictiones, persecutiones, humiliaiones, tormenta, cruces.

4<sup>o</sup> Sub hujus Religionis apparenter stultæ, tam duræ et asperæ jugo, hi pauci pisces contemptibiles subjecerunt, non indoctos solum et simplices, sed viros doctissimos, Dionysium, Clementem, Irenæum, Justinum, Arnobium, Athenagoram, Lactantium, Tertullianum, etc. Neque solum plebeios, sed ipsos principes, reges, imperatores.

5<sup>o</sup> Denique, hæc Religio atque doctrina propagata est et crevit in mediis persecutionibus, impugnantibus principibus et magistratibus, contradicentibus philosophis, sæviante diabolo atque omni suppliciorum genere contranite, et quanto magis impugnabatur, tanto magis crevit ac prævaluit, ita ut sanguis martyrum factus sit semen Christianorum.

Quis sanæ mentis, si ad hæc attendat, non cognoscat Religionem, qualem descripsimus, hoc modo natam, adultam et propagatam, non esse ingenii humani inventum, sed opus Dei omnipotentis. Neque enim fieri potuit ut doctrina a sapientia humana tam aliena, tam sensibus repugnans, tam aspera et dura, orbem universum tam celeriter pervaderet, et inter persecutiones, tormenta et contradictiones hominum et dæmonum reciperetur a principibus et eruditis, idque per paucos pisces, pauperes et rudes, nisi Deus efficacissime operatus fuisset, tam in eis qui illam prædicarunt, quam in eis qui illam receperunt.

His positis, resumo argumentum initio dissertationis factum. Ratio suadet, imo cogit, nisi sit prorsus inversa et turbata, agnoscere hanc Religionem esse veram, a Deo revelatam et institutam, 1<sup>o</sup> quam Prophetæ longe antea prænuntiarunt; 2<sup>o</sup> quam ejus author et illius cooperatores pariter prophetiis adimpletis et miraculis patentissimis confirmarunt; 3<sup>o</sup> denique quæ sola virtute divina contra omnes humanæ prudentiæ leges est nata, adulta et per orbem universum propagata. Atqui hæc est Religio Christiana. Ergo ratio suadet, imo cogit, nisi sit inversa et turbata, agnoscere Religionem Christianam esse veram, a Deo revelatam et institutam. — Majorem nemo sanæ mentis negare potest. — Minorem invicte probavimus. Stat itaque inconcussa conclusio, proindeque necessum est ut, vel deista nuntium remittat rationi, vel agnoscat Religionem Christianam esse veram et divinam.